



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Resolutiones Pastorales De Præceptis, Vitiis Capitalibus, Et De Sacramentis**

**Marchantius, Jacobus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1655**

Caput I. De Materia Baptismi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41699**

TRACTATUS II.  
RESOLUTIONES QUÆSTIO-  
num & Casuum Pastoralium.

DE BAPTISMO

CAPUT I.

*De Materia Baptismi.*

I. **Q**VAERO. *Quæ aqua essentialiter requiratur ad Baptismum?* Resp. sufficere requiri veram aquam & naturalem, quæ retineat substantiam elementiaquæ. Hinc deducitur resolutio casuum sequentium.

1. *Casus.* Si quis baptizarit in lixivio, aut in aqua multum permixta pulveri, aut terræ, valet Baptismus. Ratio est, quia censetur in his tantum alteratio, non verò immutatio substantialis aquæ.

2. Si quis baptizarit in aqua, in qua carnes coctæ fuerint, distinguendum est; nam potest esse talis decoctio, ut immutet essentiam aquæ, & faciat mixtum aliquod aliud ex pinguedine aut succo carnis: aliquando est levis de-

decoctio, ita ut licet aquam bullien-  
tem pinguedine aspergat & alteret,  
censeatur tamen essentia aquæ non  
immutata: & communis tunc opinio  
tenet valere Baptismum.

3. Si quis baptizarit in cerevisia,  
censeatur nullum Sacramentum. Ra-  
tio est, quia ordinariè est alia species  
aquæ, ob digestionem aquæ & grani  
incorporationem. Dico ordinariè, nã  
tam parva videtur esse posse cerevisia,  
tam exigua coctio & mixtio grani, ut  
aquam extra speciem suam non vi-  
deatur trahere.

4. Si quis baptizarit in aqua rosacea,  
aut aqua ex floribus, nullum est sa-  
cramentum: sunt enim hæc quædam  
mixta, ab aqua elementari diversa. Sic  
aqua è vite fluës, aut arboribus, diver-  
sus succus est, ab aqua elementari es-  
sentiã differens.

5. Si quis baptizarit in aqua, quæ re-  
soluta fuit ex sale: tunc satis commu-  
nis opinio censeat valere Sacramen-  
tum, nec talem aquam ab elementari  
essentialiter differre.

6. Si

6. Si quis baptizarit in urina, lachrymis, sudore, sputo, nullum est Sacramentum.

Adverte generaliter, si quis in istis quæ diximus probabiliter esse materiam, puta lixivio, carniū jure, aqua ex sale: & similibus, baptizarit in necessitate: si postea alia aqua habeatur, opus esse iterum sub conditione baptizare; quod si non possit haberi, & moriatur puer, potest sepeliri in loco sacro ob probabilem Baptismum.

2. *QUAERO. Quæ ablutio, aut cuius partis contactus requiritur ad valorem Baptismi? Resp.* requiri talem ablutio- nem, talemq; in aliqua parte corporis aquâ attractum, ut homo possit dici ablutus. Ex hac generali responsione deducenda est resolutio casuum particularium.

1. *Casus.* Puer solūm emittit ex utero matris partem aliquam manus, an sit baptizatus, si illa pars aque attingatur? *Resp.* multi Theologi, cum in qualibet corporis parte sit tota anima per contactum cuiusvis etiam mini-

ma;

mæ, illam ab originali posse purgari. Itaque in periculo quælibet pars baptisanda, dum non possunt principales partes attingi. Si postea perfectiùs enascatur, repetatur Baptismus sub conditione.

2. Quædam obstetrix retulit mihi, se cum non posset extra uterum habere aliam partem, quàm umbilicum, per quem infans sugit alimentum à matre, & illi conjungitur, baptisasse infantem in umbilico; an sit validus Baptismus? Existimo quod non, quia umbilicus non censetur pars hominis, ideoque præscinditur. Sed quærebatur, an talis infans deberet privari Ecclesiastica sepultura! Consequenter respondendo, videtur quod sic. Tamen contrariam opinionem posset quis cum aliqua fortè probabilitate tueri, dicendo umbilicum non minùs censeri aliquid infantis in tali statu, quàm capilli censentur aliquid hominis, licet sint quædam excrementa, sicut & umbilicus: & ita sicut per capillos censetur homo ablutus (ut multi docent)

simili-

similiter videtur per umbilicum dici posse infantē abluī, tamquam per aliquid sui, quia etiam per illum aqua ad corpus infantis censerī posset pertinere. Ob has & similes rationes, quæ afferri possent in favorem pueri, & Baptismi dati; nō planē condemnari, si talis sepeliatur in loco sacro, quia saltem apparens aliquod jus ei possit adscribi, ratione talis baptismi disputabilis. Et quamvis longe infirmior sit pars favens, cur tamen debeat privari jure loci sacri, nisi manifestè & irrefragabiliter constet privandum, sive illi tale jus non competere?

3. Contingit infantem aliquam partem extra uterum protendere, sed pelle secundinā seu pelliculā suæ generationis involutam: ita ut non possit attingi per aquā, nisi illā pelliculā infantile corpus involvens: an sic valide possit dari baptismus? Resp. non posse, quia non censetur propriè tunc infans ablutus, cum illa pellicula sit ei quid extrinsecū. Sic si aqua vestes tantū alicujus attingeret, nō censetur

baptis-

baptifatus. Unde non est existiman-  
 dum S. Petrum, dum in diebus Pente-  
 costes plura millia baptifavit, simili  
 modo baptifasse, quo nos populum  
 nunc aqua aspergimus benedicta. Illam  
 non sufficit vestes attingere, quia ex o-  
 pere operantis, sive ex devotione sus-  
 cipientis vim habet, quocirca morali  
 quâdam ratione operatur, licet cor-  
 pus non attingat. In Baptifimo a. requi-  
 ritur realis quidam corporis attactus,  
 quia ex opere operato vim habet; un-  
 de si tali asperione multitudinis, usus  
 fuisset S. Petr. quali nos, potuisset nul-  
 litas contingere sacramenti, respectu ali-  
 quorum, quos vel aqua non attinge-  
 ret, vel certè solas vestes tingeret. Er-  
 go dicendum est, quod singulos bap-  
 tificet singillatim, vel paucos simul: di-  
 cere enim quod Deus dispensaret cir-  
 ca illos quos aqua non attingeret, so-  
 lido caret fundamento; maximè cum  
 initio legis non congrueret in tali Sa-  
 cramento legem initiante, dispensatio.  
 4. Contingit infantem cerni vel  
 tangi ab obstetrice, sed intra uterum,  
 nullâ

nullà sui parte protensâ extra uterum; foretne validus Baptismus, si aquillum attingat? Resp. negativè, quia nequit regenerari, qui necdum est generatus; saltem secundùm aliquam sui partem. In his tamen duobus ultimis casibus, existimarunt aliqui Theologi sub conditione baptifandum: *Si tu es capax, ego te baptiso, &c.* Quia de nullitate baptismi in his casibus non est ita definitum, ut contrariæ sententiæ sint erroneæ, quamvis parum probabilitatis censeantur habere.

## CAPUT II.

### De forma Baptismi.

I. **Q**VAERO. *An sit sufficiens forma, si quis dicat: Ego te baptiso in nomine Sanctæ Trinitatis?* Resp. non esse, quia necessaria est explicita Trinitatis invocatio ad Baptismum: sicut & in adultis requiritur ad salutem explicita illius fides. Cùm ergo hic mutetur explicita invocatio in implicitam, eatenus etiam formæ significatio censetur immutari, & sic nullum reddi Sacramentum.

Simi